1742. Reflexiones statisticae...

REFLEXIONES STATISTICÆ
SUPER MODERNO
REIPUBLICÆ POLONÆ STATU
CUM EXHORTATIONE
AD CONCIVES.

Si unquam, nunc certe Polonia inter malleum & incudem Scyllam interpositaque Charybdim, cum undequaque armantibus sese & jam fere belligerantibus circumdata vicinis, omnia, quæ timeat habet, omnibus, quibus tueatur caret, acephalaque quodammodo luctatur cum fato. Caret enim Capite, quia hoc distans longe a Corpore; caret consilio, quia si hoc uti sine Capite vellet, rebellis & refragaria primo Mobili Suo censeretur; caret præsidio, quia paucis munita viribus, minantibusque impar resistere insultibus. Eheu miseriam! qua nulla major; Eheu cæcitatem! quæ omnes veritatis effugit radios. Vidimus, sensimus, nostroque immani fato experti sumus quanta nos concusserunt & adhuc conturbare conantur mala; sed proh duri corde, nullum salutare tot symptomatibus quærimus antidotum, nullum tam periculoso morbo paramus contravenenum, fatali quadam laborantes & quasi assueti lethargo, ullum

)(tot

tot tantisque malis invenire curamus remedium. O infelicitatem! omni superiorem expressione! o fatum superans omnes fatalitates! Quid & quis sit tantarum causa infelicitatum quærimus? acsi ignorantes, quia nil certe aliud, nisi cæcitas nostra, durities nostra, discordia nostra, qua experimur miseri, maximam & florentissimam Republicam Polonam jam jam dilabi, & in nihilum redigi. Obliti interim, quod humanum sit labi, diabolicum perseverare, minime huic malo mederi intendimus; siquidem magis magisque crescunt discordiæ, decrescit Patria, augentur diffidentiæ & dissensiones, minuuntur vires, multiplicantur animositates, deficiunt Patrii splendores, accumulantur invidiæ, aufugiunt media salvandi & in meliorem statum constituendi Rempublicam. O tempora! o mores! o homines depravatos, qui non meliora charismata ad bene ordinandam Patriam æmulamur, sed ad proniorem ejus properamus currimusque insontes perditionem, spernentes saluberrima eaque facillima ac solidissima Consilia, subministrantia promptos eosque efficacissimos modos, quibus nos amicis utiliores, inimicis considerabiliores, nobismet ipsis tutiores efficere reddereque possimus. Quænam hæc sint, quisquis sanæ mentis es, & cui adhuc scintilla veri erga Patriam inest amoris, sequentia considera, trutina, & si utilia publico reperieris, arripe sine mora & exequi cura. Absit a mente, uti a corde abest, perturbatio pacis vel tranquillitatis publicæ, sed maturæ insit considerationi, eam felicem demum & tutam esse Rempublicam, quæ tempore pacis de bello cogitat, illamque tutissimam & solidissimam esse

esse pacem, quæ armis paratur & munitur. Minime quempiam latere censeo, quomodo non tantum omnibus vicinis nostris, tam inimicis, quam amicis, (si quos hoc titulo jure merito respectu generalitatis numerare competit) sed etiam remotissimis gentibus & nationibus, opprobrio facti sumus & contemtui, uti fex populi & gens abjectissima, ob debilitatem, discordiam, &, ut ita dicam, effeminatos animos nostros. Quisquis enim considerat Polonos sub Joanne III. DIVÆ memoriæ, ut ulterius non retrocedam, & nostros nunc coætaneos, facile conjiciet & decernet gentem hanc nobilissimam, quæ Christianorum propugnaculum Viennæ & in illa Domus Austriacæ salus & præsidium, amicis tutamen, hostibus terror non tam pridem exstitit, nunc in miserrimo demersam statu acsi pro non existenti ab omnibus censeri & haberi ita, ut amicitia Polonorum vilipendatur, inimicitia minime consideretur, imo contemnatur, quod nec tam injuste patimur, si mature considerare volumus miseri, amicitiam nostram cuipiam minime utilem, inimicitiam multo minus formidabilem: vana enim sine viribus ira. Has erga quantocius augere omnino necessum est, si in tam lubrico rerum Europæ statu ultimum evitare velimus exitium & interitum. Irrident nobis jure merito invidi nostræque totali inhiantes ruinæ, quod semper loquimur, semper discurrimus, semperque consulimus de auctione exercitus, de melioratione status nostri, sed omnis effectus de verbis, quantumvis de opere nihil, omnia hæc vox prætereaque nihil, adeo ut quidam extraneus bene rerum Polonicarum gnarus,

ita Poloniam non immerito definiverit: Polonorum Comitia convitia; Consilia convivia; Senatus postratus; Ministri Patriæ sinistri; Tribunalia venalia; Nobilitas humilitas, Clerus non verus; Exercitus grex perterritus. &c. Quo bene considerato, nec non corruptissimo hoc, in quo vivimus, sæculo, etiam a ferventissimo pacis & tranquillitatis assertore concludi omnino debebit tot tantisque malis, quibus laboramus, modis ordinariis, scilicet in Comitiis generalibus medelam parari non posse, sed aliis illis vero indilatis remediis uti, omnino necessum esse. Ineundum ergo vinculum quam strictissimum, non alio tamen scopo, nisi ad bene ordinandam, providendam, muniendam & contra omnes insultus ac pericula tuendam Rempublicam, sine quo nulla salus. Supervacaneum esset explanare hic modos, quibus sufficiens auctio exercitus facillime constitui possit. Unum præprimis & perpetuo necessarium: concordia, unio animorum & conformitas sensuum, quæ maxima sunt Rerumpublicarum fundamenta & præsidia. Hæc ergo omnibus, quæcunque dari possunt modis, curare, quærere, & coadunare unicuique bono & vere Patriotæ incumbit, hæc præprimis omnibus concilianda studiis & conatibus. Rem equidem difficilem, sed non omnino impossibilem propono, considerato, quod volenti nihil arduum sit, Eradicanda tantum primo iniquissima hæc præventio, quod difficile contra torrentem niti, vel quod remedium peius esset morbo, qui etiamsi in ultimo gradu esset, curari interim potest, dummodo adhibeantur congrua sympromatibus remedia, Faxit DEUS, ut ejus ope & misericordia inspirem hic, qui hæc

scri-

ſcribo fratribus meis illum amorem & zelum Patriæ, quo ipſe ardeo. Brevi videremus aurea redire ſæcula, priſcamque noſtris temporibus arridere fortunam. Quod ut eo efficacius eoque citius ac felicius effici poſſit, eradicandæ omnino antiquæ animoſitates, obliviſcenda penitus odia, exterminandæ quantocius diſſimulationes, diſcordiæ, diſſenſiones, quæ florentiſſima ſubvertere ſolent Imperia; reaſſumendus zelus gloriæ & timor DEI, amor Patriæ & libertatis, priſca reſtabilienda juſtitia, quæ omnibus fere propulſa ſubſelliis, qua Regna vigent florentque Imperia. Legum farrago, quæ obruit communiter Reſpublicas ad certum redigenda numerum; beneque provideatur integritati & ſecuritati internæ ac externæ; caveatur quam rigoroſiſſime, ne potentior debiliorem opprimat impune; conſtituantur proportionata meritis & virtutibus præmia, ſceleribus congruentes ac vitiis pœnæ; præferatur amor boni publici particulari commodo, nam privata ſemper publicis effecere. Conſiderandum, pro publico laborantem pro ſe ac poſteris ſuis laborare. Conſtituendæ, Judicibus, Deputatis, Nuntiis, Commiſſariis, Palatinatuum, Diſtrictuum, ac Terrarum Largitiones, ne ſint abhinc tam præcoces ad vendendam & propter ſacram auri famem ſacrificandam externo vel domeſtico auro Patriæ felicitatem, honorem, commoda, vel Juſtitiam. Publicum enim eſt notumque exteris, Comitia noſtra & omnes Actus, Conſilia, Commiſſiones, Judicia, venalia eſſe uti in nundinis merces. Quæ Ignominia! ubi pudor? ubi honeſti amor & conſideratio? Expaveſcit

deliquiumque fere patitur cor vere Polonum, tremit manus, horret mens doletque ſummopere, quod Gens ſordidiſſima Judaica poſt diſſoluta ultimaria Comitia palam publiceque gloriabatur, ſeſe eventui illorum oppoſuiſſe. Ideoque omnino conſtituendum, quatenus, omnis corruptor atque corruptus Judex, ille vel Deputatus, Nuntius vel Commiſſarius, Epiſcopus, Senator vel Miniſter, vel quicunque demum ſic quam rigidiſſime & irremiſſibiliter puniatur. Uſuræ quæ omnium malorum & miſeriarum cauſæ ſunt, omnino abrogentur conſtituaturque ſub amiſſione Capitalium & pœna notabili carceris, quisquis abhinc auderet quocunque modo vel prætextu magis percipere, quam ſeculares ſex pro Cento, Clerici quatuor, præciſis omnibus calamitatibus temporum; in nullo enim Chriſtiano Regno tantæ reperiuntur uſuræ, uti apud nos. Hæc ſi omnia exequuntur, ſine dubio cito & bene publicum cedet opus. Ut vero majori cum emolumento ſolidiusque conſulatur proſpiciaturque modis augendi Vires ſimul ac ærarium publicum, hæc tria maxime & plurimum neceſſaria. *Primo* Auctio virium competens & ſufficiens ad defenſionem & tuitionem Limitum Patriæ, internæ ac externæ ſecuritatis corroborationem, cum circumſcriptione Authoritatis Ducum nec non aliorum Officialium Exercitus. *Secundo.* Erectio Urbium ac Civitatum in quartum Ordinem Reipublicæ, qua refloreſcent ſolidabunturque commercia, diminuetur Judaicæ ſorditiei immenſus numerus. Omnino enim conſtituendum, quatenus in omnibus Civitatibus, quæ jure hoc gaudere vellent,

medie-

medietas saltem civium Christianorum reperiatur ; Civium Judæorum vero reassumendæ antiquæ Constitutiones, quibus tantum mercibus illis uti licet. Certum enim est, gentem hanc nequissimam omnes modos Christianis adimere, sanguisugasque nostrorum esse subditorum. Adimentur hisce modis oppressiones Incolarum Civitatensium, quæ quodammodo invaluerunt, accrescent notabilia & innumerabilia publico commoda & emolumenta viresque considerabiliter vel exinde augebuntur. Si vero tribus Ordinibus Rempublicam constitutam habere congruentius videtur ; sit ergo Rex Serenissimus Caput & Corona Ordinum Trium, Senatus, Equestris Ordinis ac Urbanorum Nihil mihi, juro DEum, hocce inspirat, nisi Amor boni publici & desiderium videndi quam splendidissimam, quamque florentissimam Patriam. *Tertio.* Corroboratio vel renovatio Fœderum cum vicinis, a quibus nulla ex parte securos nos credere possumus, quia omnibus facti sumus in derisionem & subsannationem ob discordiam & debilitatem nostram. Alii modi ad sublevandam, salvandam & bene ordinandam Rempublicam subministrabuntur, cum videbitur, quod hæc, quæ saluti illius proponuntur, zelose arripiet Consilia, eaque exequi indilate studebit ac curabit, considerando, quod nunc sit dies salutis, nunc tempus acceptabile ; operari ergo bonum placeat, dum tempus favet. Inspiret DEUS Omnipotens cordibus Polonorum zelum gloriæ suæ verum, illumque ferventissimum, amorem Patriæ constantissimum, honesti curam ac antiquæ libertatis manutensionem fervidissimam.

Spes

Spes in eo, quia cuncta bene perficientur, ſi confirmabit hæc in nobis, quæ operari ſancta ejus ſuadet Providentia & bona dictitat ratio. Videremus tunc Poloni, ſolidam ſtabiliri noſtris temporibus pacem; nec eſſemus Regno indecores, vicinis impares, amicis inutiles, inimicis contemptibiles; mutaretur facies Reipublicæ in melius ſereniorque cunctis arrideret fortuna; dummodo hæc ſaluberrima, eaque juſtiſſima ac efficaciſſima, conſiderentur, cognoſcantur, arripiantur & quantocius ad effectum deducantur media & Conſilia; quæ quam ſolidiſſimæ atque impartiali uniuscujusque ſubjicio conſiderationi, judicio & deciſioni, unicam in illis publici obſequii quærens gloriam, interque maximas numeraturus felicitates, ſi optatum ſortientur, DEO juvante, effectum: ſi vero inevitabili Patriæ fato ſterileſcent, indolendo ſorti iniquæ hoc niſi ſolabor, quod in magnis rebus & voluiſſe ſat eſt.

D. T. O. M. H. E. G.